

De siccis et minus necessariis Teloniis abolendis: Judaeis ab arendatione Teloniorum amovendis: Et in Telonio Ocavtensi, a singulis coemptis Animalibus, duobus grossis Germanicis non exigendis.

A r t i c u l u s 91.

§. 6. Ad Regnum vero Sclavoniae, pro Teloniis ejusmodi abolendis, juxta eosdem Articulos deputantur; Magnificus Dominus Thomas Mikulich, Personalis Praesentia; Magister Joannes Szakmardy: et alter Joannes Ruchich: ac Petrus Rigianecz.

Constitutiones circa celebrationem Judiciorum Octavalium, statis temporibus locisque consuetis; observandae.

A r t i c u l u s 103.

§. 3. In Regno quoque Sclavoniae non solum Judicia Octavalia Majora sive Generalia, pro universis causis ibidem levare solitis; juxta eundem Articulum 14. Anni 1635. et Art. 7. Constitutionum Posoniensium, Anni 1572. et Art. 3. Anni 1575. sed etiam Brevia Brevium pro factis impofterum patrandis et aliis ejusmodi Judicia concernentibus negotiis; juxta praecitatum Art. 70. Anni 1609. et certum ejusdem Regni Privilegium; statis suis temporibus, cum consensu suae Majestatis celebrari debeant atque possint.

Querelae item contra Dominum Episcopum Jauriensem per Dominos Archiepiscopum Strigoniensem et Judicem Curiae Regiae, adhibitis aliis quoque Judicibus; peremptorie revideantur.

A r t i c u l u s 113.

Quoniam contra Reverendissimum Dominum Georgium Draskovith, Episcopum Jauriensem, graves admodum per Capitulum et Comitatus loci ejusdem et Castriferrei, multasque Nobiles personas, nec non Oppida et Villas Episcopatui ejusdem subjectas et in gravaminibus Diaetalibus specificatas, Statibus et Ordinibus Regni essent porrectae querelae; cujus excessus, ut ad exemplum aliorum reprimantur, contenti redduntur Status et Ordinis Regni; ut, juxta benignam suae Majestatis Sacratissimae resolutionem, causa eadem, ad instantiam injuriatorum, in termino post Diaetam praefigendo, per Illustrissimos Dominos Archiepiscopum Strigoniensem et Comitem Judicem Curiae Regiae, adhibitis Ecclesiasticis Personis, nec non Judicibus et Tabulae Regiae Assessoribus (qui ad manus haberi poterint) peremptorie Judicialiter revideatur et reali etiam executioni demandetur.